



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Decennium Apostolicum S. Francisci Xaverii Indiarum II. Japoniarum I. Apostoli**

**Nevhsii, 1689**

Annus secundus. Christi MDXLIII. Xaverii XVLII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43989**

- VI. Prudentiam Lusitani.  
 VII. Fiduciam socii.  
 VIII. Magnanimitatem maria & pericula,  
 IX. Zelum regna & Insulæ;  
 X. Amorem Cælites & Deus.

Testatiora sunt omnium, quàm ut narrentur,  
 Argumenta.

Atq; hæc decem Virrutes Tuæ decem illæ Lineæ sunt,  
 per quas in salutem Gentium reduceris  
 ab Occidente in Orientem sol orbis, Xaveri.  
 4 Reg. 20. Isa. 38.

Annus secundus.

Christi M D X L I I I.

Xaverii X L V I.

**V**indemia hoc anno felix est, quando Octobri  
 mense in Piscariam pergis Xaveri, non tam  
 pisces aut uniones è mari, quàm è vineis botros le-  
 cturus. Sic laboras Pater sancte (idenim modo  
 nomen acquiris) inter Paravos, sudas in Comori-  
 no, concursas in Punicali, pagos integros unda sa-  
 lutari eluis, decertas in Pagodes, Brachmanes tri-  
 umphas, & vel abjectissimâ Tui demissione, vel  
 gloriosâ mortuorum trium suscitatione, in im-

A 4

mensum

*mensum promoves (seu per te seu per parvulos  
Tuos) rem christianam. Fac nos in aliquam ube-  
ris Vindemia partem, certè in Europa, venire.*

**Decē Apostoli Xaverii prærogative.**

Vir sanctus

Audis vel inter sacrilegos & barbaros!

Francisce;

certè sanctus, sanctorum penè omnium  
gradus amplexus.

I. *Angelus* moribus & vitâ es,  
terrenæ nil fecis habens.

II. *Patriarcha*, populi Dei & pater & rector.

III. *Propheta*, cum dono, tū præfago spiritu.

IV. *Apostolus*, merito & dignitate.

V. *Jesu & Ignatii Tui discipulus*.

VI. *Gentium Doctor* potens opere & sermone.

Jam verò

ardens pro Christo patiendi desiderium

VII. facit Martyrem.

VIII. *Confessorem* virtus ac vitæ professio:

IX. *Sacerdotem* ordo & pontificia potestas;

Illibata corporis animiq; integritas


X. *Virginem* coronat.

Quidni ergo *Patrem sanctum*

Te vel *Barbaria* veneratur?

quidni veriùs gloriere Tu,

quàm



( 9 )



quàm Israël:

Decem partibus major ego sum?

2 Reg. 19.

Annus Tertius.

Christi M D X L I V.

Xaverii XLVII.

**F**RANCISCE hic pastoralis cura annus est, quando  
tuum rursus visitas gregem ad maris littora,  
tum contra irruentes lupos Badagos defendis, di-  
persum colligis, afflictum conquisitis undique sub-  
sidijs foves inter Tutucurinenses scopulos; profe-  
cto etiam adversario Tuo spoliato atque egenti  
subvenis charitate: subinde ovili capita addis non  
pauciora decem millibus lasso per frequentem ba-  
ptismum brachio. Excursione etiam in Machoas  
Saracenosque factâ. Tranvancoridem universam  
in mandros Christi colligis. Totum interim bar-  
barorum exercitum uno vultu tug percellis; Mar-  
tyrum tamen etiam primitias (Patruo pago inte-  
gro à te converso, tum pro fide vera macerato)  
transmittis in cælum. Hic quoque illud boni pa-  
storis enitet specimen, cum ad molliendum perti-  
nacem militem impactis in insons tergum Tuum  
immanibus flagris sanguinem prolicis, generosus  
A 5 inter